



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 233. Quid notandum sit de ludo respectu Clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

An Judex vel Dominus sæcularis possit Clericum injustè venantem spoliare armis, avibus, canibus, videri potest *Diana* p. 1. t. 2. R. 10. & p. 3. t. 1. R. 28.

1378

Q. 233. Quid notandum sit de ludo respectu Clericorum. R. Clericis prohibetur lusus alearum, Cap. penult., de vita & honest. Cleric. aliisque locis apud *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 13. §. 5. : Nomine autem alearum intelliguntur omnes lusus fortunæ potius quàm industriæ : Et prohibetur consuetudo ludendi, non autem ludere unâ aut alterâ vice, *Salas, Mol. Rebel. Az. Castrop.* ; Imò consuetudinem ludendi, si non fiat ob lucrum sed recreationis causâ, excusant à mortali *Sa & Valent.*, quamvis contrarium teneant *Salas & Castrop.* suprâ : Putatque *Salas* prohibitionem horum lusuum non extendi ad Religiosos laicos, quia textus tantùm habet de Clericis, sed communis opinio cum *Nav. Suar. Valent. Castrop.* & alijs tenet oppositum.

1379

Q. 234. An Clerico licitum sit interesse executioni pœnæ mortis. R. Licitum est cum justa causa, v. g. si educat reum : è contrâ si sine justa causa adsit Sacerdos vel Religiosus, multi innuunt esse peccatum, attamen non esse mortale docent *Suar. Avila* aliique cum *Dicasst.* de irregul. d. 7. n. 653. ; imò si absit scandalum & otiosa curiositas, *Vgol. & Mol.* de just. T. 4. tr. 3. d. 8. n. 13. dicunt nequidem esse veniale, quia consuetudo nunc præscripsit contra Decretum, quod olim obligabat Monachos & Clericos, quando clausura & observantia eorum erat major. Quòd si adesset tanquam habens jurisdictionem temporalem, v. g. Judicis, Custodis &c., fieret irregularis, *Regin.* l. 30. t. 2. n. 134. Plura de ludis & spectaculis diximus l. 3. p. 2. à n. 1086.

Qui alia volet circa mores & conversationem Sacerdo-